



HENRICVS octauus, Angliæ Rex, patri Henrico septimo successit in Regno, anno Christi 1510. Qui traiecto in Galliam exercitu, Neruiorum urbem Tornacum certis conditionibus recepit: quam quinque post annis Francisco Valesio Regi restituit, pactus filiaæ suæ Mariæ connubium, cum Francisco Franciæ Delphino. Postea verò anno 1520. in Galliam reuersus visendi gratia Regis Francisci, pacem cum eo firmavit. Tragœdias verò turbulentissimas quas excitauit, quasque sæuitias exercuit, & in Clerum, & in suas vxores, nunc commemorare non libet: qui fusius hæc videre volet, legat Iouij primum, & secundum tomum, & Supplementum Chronicorum. Regnauit annos 36. & mortuus est anno 1546.

EDVARDVS sextus Angliæ Rex supradicti Henrici filius, annos natus octo patri successit, anno mundi 5508. & à Christo nato 1546. Hic puer fuisse dicitur (quantum tulit ætas) multum eruditus, ac pius: pacis amantissimus, & animo ad tranquillitatem inclinato. Bononiam maritimam Henrico 2. Regi Franciæ reddidit, per annos quinque prius occupatam à patre Henrico octauo. Inter eos denique post grauissima bella de pace conuentum est, iis legibus, vt odiorum veterum inter Gallos, & Britannos perpetua fieret amnestia: idque omnium Magnatum consensu, & populi diutinorum bellorum vtrinque pertæsi. Quæ sanè pax, & concordia omnibus fuit quàm gratissima. Vide Chronica Franciæ & Iouium.